

19  
DISPUTATIO THEOLOGICA  
PRO II. ARTICULO  
LIBRI CONCORDIÆ,

De  
**LIBERO  
ARBITRIO,**

Quam,

*Dirigente & Moderante supremo Naurine,*

P R A S I D E

**GEORGIO C. ALANO**

In Regiâ Academiâ Aboënsi S. Theol. Profess. Ord.

*Publicè proponit*

**Jacobus Forladius Smoland.**

*Ad diem Octob. horis matutinis consuetis, in  
Auditorio Majori, Anno 1650.*

Augustinus in Enchirid. c. 30. ait:

*Quid boni operari potest perditus, nisi quantum fuerit à perditione li-  
beratus? Nunquid libero voluntatis arbitrio? Et hoc absit; nam  
Libero arbitrio malè utens homo, et se perdidit, et ipsum.*

A B O Æ,

---

Imprimebat Petrus Wald/ Acad. Typog: 1650.

*Jacobus Forladius*

*Experientissimo & Excellentissimo Viro*

**DN. M. ERICO ACHRE-**

**LIO,** *Medicina in Alma Fennorum Universitate*

*Aboënsi PROFESSORI celeberrimo, Et p. t. RECTO-*

*RI MAGNIFICO; Patrono suo ac Præceptori*

*perpetuùm de venerando.*

N E C N O N

*Venerando ac humaniss. Viro*

*Animoso peritiâq; Militari præ-*

*stanti Viro*

**DN. SAMUELI**

**MICH GUNNÆRO,** *Pa-*

*stori in Bono pervigili; Promo-*

*tori suo & Nutritio Multùm*

*Benigno.*

*Spectatissimo Viro*

**DN. MATTHIÆ GRE-**

**GORII,** *In Zarovsthuus ca-*

*stellano Fidelissimo; Fautori suo*

*Atq; Amico perquàm Favo-*

*rabili.*

**DN. CHRISTIER-**

**NO JOH. Neuman/ Capitanei**

*Locum Tenenti persrenuo;*

*Benefactori suo Propensiss.*

*Prudentissimo Viro*

**DN. JONÆ P. GALÆ-**

**NO Sveco Westm: In Zarovst-**

*huusq; Scriba Expectissimo; ibi-*

*demq; Nunt: Publ: Præfecto per-*

*industrius; Fautori suo ac Ami-*

*co Indubitatiss.*

U T E T

*Præstantissimo Juveni*

**DN. JONÆ L. LACUSINIO** *Calm: Studioso Lite-*

*ratissimo; Sympatriotæ suo & Amico, Fratris loco jugiter habendo*

*Manipulum hunc Messis Theologicæ partim in*

*debitæ observantiæ Argumentum; Partim in*

*Grati Animi Testimonium; Nec Non firmæ per-*

*petuâq; Amicitiaæ tesseram, Submisit officiosè ac*

*Amicè offert atq; consecrat*

**JACOBUS JOH. F. Respondens.**

D. O. M. A.

DISPUTATIONIS PRO II.  
ARTICULO LIBRI CONCORDIÆ  
De.  
LIBERO ARBITRIO  
Thes. I.

Cum omnibus ferè temporibus gravissima fuerint certamina de libero hominis arbitrio, quæ partim Manichæorum, Marcionitarum & Valentinianorum furor; Stoicorum, Vallæ & Calvinianorum impium dogma partim Pelagianorum, Scholasticorum, Pontificiorum & Synergitarum perniciosus error; partim Enthusiatarum & Anabaptistarum phrenesis in Ecclesia Christi excitavit, omnibus profectò pijs, cumprimis verbi divini ministris, unicè laborandum est, ut articuli hujus sinceram puritatem ex verbo Dei solide astruant atq; demonstrent.

II. Nec postremum inter reliquas controversias, quæ post obitum B. Lutheri inter Theologos Augustanæ Confessioni addictos scilicet concitârunt, Articulus iste sibi vindicat locum. *Ex eo enim minus dextrè intellecto & explorato, facti Errores de iustificatione & merito bonorū operum pullulant; nec non tristis certamina de lege & Evangelio fuerunt agitata: Imò inde ansam & occasionem sumpsit Hæresi anabaptistarum illud scilicet de sustinenda peccati originali dogma in Ecclesia invehendū. Proinde ipsa salus Ecclesiæ vel maxime efflagitavit, ut pacis & concordie stabilienda gratia, articulus ille ab erroribus vindicatus, pristino*



stino nitore & puritati restitueretur, id quod in Libro concordia accuratissime praestitum esse, res ipsa loquitur.

III. Adde quod hujus doctrinae explicatio & cognitio summe utilis & necessaria sit, quo sic *partim hominum miseria, partim divina conspiciatur gratia*: Quantum enim in conversione hominis Libero arbitrio attribuitur tantum gratiae divinae detrahatur, quia patroni naturae fiunt inimici gratiae. Quoniam ergo nuper cum libro concordiae in ipso errorum fonte obstruendo laboravimus, nunc ipsos etiam rivus aggrediemur, & consecraria quae peccati originalis negatio in virium humanarum assertione peperit, refecabimus.

IV. Ut autem hic articulus eo commodius è tricis evolvatur, tria potissimum membra expendenda sunt.

1. *Quid generatim sit Liberum arbitrium, considerandum.*
2. *principalis status controversiae formandus, & suis terminis circumscribendus.*
3. *Quae sint vires hominis jam post lapsu in statu aversionis, conversionis, novitatis, Hoc est, Ante, In & Post conversionem suam, perspicue exponendum:* quibus declaratis non tantum virium humanarum summa *αδυναμία* Et hominis imbecillitas erit conspicua, verum etiam totum conversionis negotium dispalescet, & maxima Dei erga nos bonitas innotescet.

V. *Vox Liberi Arbitrii Ortum* agnoscit Ecclesiasticum, non Biblicum, trahens eum ex Philosophia Platonica. Stoici namque cum fatalem omnium actionum necessitatem statuerent, Platonici se ipsis opposcentes, Liberam Electionem esse in nostra potestate sitam docuerunt, quorum placitis ante conversionem non nulli patres addicti, post conversionem suam terminos hos Philosophicos retinuerunt, intelligentes hoc titulo Libertatem

tem

tem non in spiritualibus, sed in Civilibus & naturalibus.  
VII. Nec plane aliena a Scriptura Sacra est hæc vox,  
quia rem ipsam in ea habemus, & ibi sunt voces, ex qui-  
bus vera consecutio colligitur, imprimis Joh. 8, 36:  
Rom. 6, 18. 1. cor. 7, 37. Ad Gal. 5, 1: 2. cor. 3, 17. Et  
Libertatem, quæ nunc amissa est, homo integer ante lap-  
sum habuit.

VII. *Arbitrium* nominatur respectu intellectus mon-  
strantis voluntati objectum eligendum aut repudiandum,  
aut suspendendum. Nam cum dico: arbitror me scire,  
arbitrantur philosophi, arbitrari significat judicare, aesti-  
mare, censere; estq; sic actus intellectus non voluntatis:  
Interdum tamen arbitrari sumitur pro eligere, & arbitri-  
um pro Electione, atq; tunc ad voluntatem spectat. *Libe-  
rum* verò dicitur respectu voluntatis, cujus officium est  
judicia intellectus liberè vel eligere vel repudiare.

VIII. *Homonymia* si spectetur, sumitur *Liberum Arbi-  
trium* 1: pro potentia passiva, & notat capacitatem, quæ mens  
& voluntas hominis gratiâ & dona conversionis recipere  
possunt. Non enim homo est lapis aut truncus, qui con-  
verti nequeat, sed datur in eo potentia sive capacitas pas-  
siva recipiendi conversionem à Deo productam. 2: pro  
voluntate activa. Hæc vicissim aut voluntatem ipsam  
aut vires voluntatis significat. Si voluntatem, tum no-  
tatur aut restricta ad malum inclinatio, aut indifferens us-  
trumq; oppositum eligendi facultas: Si vires, intelligitur  
libertas vel in civilibus, vel in spiritualibus. Quæ poste-  
riores acceptiones potissimum hic spectantur, cum de vi-  
ribus humanis disceptatur.

IX. Datur præterea varia vocabuli *Libertatis* acceptio.  
Usurpatur enim hæc vox potissimum quadrupliciter. 1:  
pro ut opponitur obligationi.

pientis est Libertas divina, quæ soli Deo competit, & hæc non pertinet. 2. *prout servituti opponitur*, Et sic illud Liberum salutatur, quod alteri non est subjectum. Ut Libere Civitates; nulli quæ servant principi. Huc referri potest Libertas à Dominio peccati, quæ in renatos cadit. Sic è contra non renati cum servant peccato, sunt servi peccati; Rom. 9, 17, 20. nam quisquis operam dat peccato, servus est peccati, Joh. 8, 34. Quo sensu etiam Lutherus non conversis tribuit servum arbitrium, quia hominis non renati voluntas est captiva, tantum servit peccato, neq; ex proprijs viribus se convertere potest. 3. *Prout Miseria opponitur*. Talem habuit, homo ante lapsum Libertatem à miseria peccatum concomitante. Talis etiam erit Libertas gloriæ Justorum in cælo. 4. *prout necessitati* contra distinguitur, quæ est velt. Necessitas dependentiæ. 2. Immutabilitatis. 3. Hypothetica sive consequentiæ. 4. Physica causarum naturalium quæ positis omnibus ad agendum requisitis actionem suspendere non possunt. 5. Conditionis, qua natura rationalis ad unum determinatur contra voluntatem à violento principio externa. Hæ duæ postremæ necessitatis species Libertati in indifferentia positæ cum primis ad versantur & repugnant.

X. Terminis sic à perplexitatibus Liberatis, quid sit Liberum Arbitrium dispiciendum venit. Integritas Liberi arbitrij ab Hassenreffero triam rerum concursum haud incommode describitur, videlicet 1. Iudicij mentis. 2. Electione voluntatis 3. prompto virum inferiorum obsequio: Ita ut una harum conditionum deficiente, statim propria Liberi arbitrij affectio natura & integritas Laboret. Hinc in bruta, homines stupidos & infanos Liberum Arbitrium cadere rectissime negatur.



Definitio

XI. Quocirca satis appositè definitur *Liberum Arbitrium* quod sit facultas voluntatis, quâ bonum malumve à judicio mentis monstratum, expedito reliquarum inferiorum virium obsequio liberè surgit aut profequitur.

XII. Generis Locum tenet facultas voluntatis. Non enim est essentia voluntatis. Nam illa, quæ vult sive bonum sive malum, & semper vult liberè, spontè, ultrà, citra omnem sui coactionem, remansit; Sed est ejusdem vis & facultas, quâ habet quid velit agendi potestatem; quæ facultas quodammodo perijt. Nam Judicare, velle & agere naturæ sunt; iniquè verò Judicare, malè velle & pravè agere corruptioni sūt imputanda. Sic rectè Judicare benevelle & rectè agere gratiæ supernaturalis sūt beneficia.

173

XIII. Differentia desumitur 1. A *Causa Formali*, quæ est ipsa Libertas, & dupliciter spectari potest, vel ratione *essentis*; in se & quatenus est facultas naturalis Libera; quo sensu notat ipsam voluntatem, quatenus in agendo est libera, non quidem ab obligatione ad certam obedientiam juxta divinæ justitiæ normam præstanda. Hæc enim Libertas nihil aliud esset, quam effrenis & belluina Licentia, quæ nulli conceditur. Nam Deus non dedit cuiquam Licentiam peccandi, Syr. 15 20.

XIV. Sed 1. à *Coactione violenta*; Nam profus fieri nequit, ut aliquid simul sit & liberum & coactum. Inclinationi cedit potest voluntas, cogi non potest. Sic dicitur quis potestatem habere propriæ voluntatis. 1. cor. 7. 37. Quando voluntas non vi externâ cogitur, sed sponte suâ aliquid amplectitur vel rejicit. Et hoc propriè vocatur spontanea, cui opponatur coactum sive violentum, 2. à *necessitate physica*, quando voluntas non necessario determinatur ad unum obiectum vel actum immutabiliter, sed pro arbitrio potest velle & nolle, potest actum elice.

liberum

licere, vel suspendere, id est, agit non solum spontè, sed etiam liberè. Apposuit tibi Dominus ignem & aquam, ad utrum volueris, extende manum tuam. Coram hominibus est vita & mors & utrumcunq; placuerit, dabitur ipsi, Syr. 15. v. 15, 16, 17. Atq; hoc propriè vocatur Liberum, cui opponitur *seruum seu necessarium* & immutabile. Vel respectu *εὐεργεσίας*, & virium circa objecta tam bona quam mala, de quibus in speciali Theoria fusius est agendum.

XV. 2. A *Subiecto*, quod propriè est voluntas; non quod mentis iudicium excludatur, sed præsupponatur. Nulla enim esse potest libera voluntas sine mente. Voluntas nihil appetit, nisi cognitum & à ratione propositum ut præca *ignoti nulli cupido*. Quæ in objecti cognitio est ex requisitis antecedentè necessaria, electionem autem liberam non efficit.

XVI. 3. *Ab officio seu effectu* duplici, videlicet 1. Eligere, amplecti ac prosequi objectum monstratum. 2. Reijcere, detestari ac fugere objectum ostensum. Sic Liberè homo templum, ingreditur, vel non ingreditur: liberè Libros legit sacros vel profanos, antiquorum vel recentiorum. Et ut omninò Libera sit voluntatis actio, requiritur etiam consequentè promptum obsequium virium inferiorum.

XVII. Generalem Liberi Arbitrii cōsiderationem, Excipit Jam *Membrum Alterum*, quod est de *statu controversæ principali ritè & rectè constituendo*. Ubi 1. *Observandum*, quando de virium liberi arbitrii amissione disceptatur, nullam nobis esse Litem cum adversarijs de ipsa voluntatis *essentia* sive essentia. Nam certum est, quod illa non perierit. Sicut enim anima ipsa per Lapsum Adamiticum non fuit destructa; Ità nec potentia hæc animæ primaria



maria est destructa. Unde Ambrosius rectè ait: *1<sup>o</sup> mo à Diabolo spoliatus, non voluntates, sed voluntatis fontem te privatus est.* Probè itaq; discernendum inter subjectum ipsum, & inter vires, quæ subjecto insunt: sive inter voluntatem hominis, quatenus ea est *divina* animæ rationalis, & inter voluntatis vires, quæ quodammodo sunt amissa.

XVIII: Deinde observandum, diversimodè se habere hominis vires, si in diversis statibus consideretur, videlicet in statu integritatis, corruptionis, restaurationis & consummata post hanc vitam restitutionis.

XIX. *In statu integritatis Liber* erat homo ab omni peccato & miseria. Nulla in eo concupiscentia prava à qua ad peccandum impelleretur, sed eximia virium integritas & harmonia. In intellectu ratio, radius divinæ lucis: in voluta e *Libertas a coactione & necessitate* adfuit eligendi vel respuèdi, volèdi vel nolèdi, sese ad mortè vel ad vitam extendendi facultas; Syr. 15, 14. In appetitu sensitivo & affectibus promptum obsequium, id est amor honesti, latinx moderata: delectationes naturales & spirituales *ευρακτοι*, desideria sancta: Econtrario, odia, invidentia, diffidentia, metus mortis & in valetudinis, desperationes, dolor & tristitia & his similia, exularunt à felici illo statu. Vide Augustinum L. 14. de C. D. c. 10. Quid homo potuerit in hoc statu ante Lapsum, in controversiam non vocamus.

XX. Porro *In statu consummata restitutionis* sive glorificationis erit *felix & securus Libertas* conjuncta cum immutabilitate, quia tunc Electi in bono confirmabuntur, ut ex felici illo statu amplius excidere non possint. Frunt enim tunc sicut angeli Dei in cælo, Matt. 22, 30. Erit hæc *plenaria & omnimoda Libertas* non solum à peccati servitute,

sed etiam ab omnibus reliquijs peccati, Apoc. 21, 27. erit deniq; haec *plenaria Libertas ab omni miseria*, quia absterfus est Deus omnem Lacrimam ab oculis iustorum, & mors amplius non extabit, neq; luctus, neq; clamor; neq; Labor, Apoc. 21. 4. Quae sint hominis vires in hoc statu, similiter in disceptationem non veniunt.

XXI. *Secundi* verò & *Tertij status* diligens est habenda ratio, ne confundantur, sed accurate distingvantur. Nam de secundo potissimum statu fervent Liturgia, quid valeat homo non dum renatus, & quae sint ejus vires partim autem conversionem, partim in ipsu actu conversionis, qua de re in tertio membro acturi sumus.

XXII. *Tertio* deniq; distingvenda sunt objecta, & diversa actionum genera discernenda. Duplex ait D. Luthé. rus est hemispherion *Liberi arbitrij*; Inferius & superius: Illud in rebus mundanis ad hanc vitam pertinentibus est occupatum: hoc in rebus sacris & caelestibus, quae concernunt aeternam hominis salutem, versatur.

XXIII. Res mundanae sunt *vel naturales*, ad quas pertinent opera haec externa, sentire, ambulare, dormire, edere, bibere: *vel civiles*, ut Leges ferre, emere, vendere, bella gerere, officia exercere, foedera pangere, &c. *vel Morales*, ut honeste vivere, continere manus à caede, furto, à scortatione & adulterio abstinere, suum cuiq; tribuere, elemosynas erogare &c. in quibus aliquam Libertatem esse residuam non solum Experientia testatur & iumen naturae, sed & suo id comprobat calculo pagina Sacra. Sic Num 30, 12, 13. dicitur in arbitrio viri esse, votum Uxoris stabilire aut irritum facere. Eccles. 31, 10. commendatur dives, qui potuit transgredi & non est transgressus, facere mala & non fecit. Confer 1. cor. 9 v. 14, 5, 6. Hinc ait Apostolus, gentes quae legem non habent

bāt ( scriptam ) naturā quæ legis sunt fecisse, Rom. 2. 14. 15. diserteq; asserit aliquam esse propriam hominis non re-  
nati iustitiam, Rom. 10. 3. quam Augustana confessio  
civilem Iustitiam appellat. Unde virtutum & vitiorum  
est discrimen apud non renatos in externa disciplina.

XXIV. Adde quod leges, pœnæ, præmia vana &  
irrita forent non admissa arbitrij humani in externis &  
civilibus Libertate. Quæ enim amentia foret consulta-  
tiones & deliberationes instituere, leges condere, pœnas  
delinquentibus irrogare, præmia servantibus leges &  
promittere & conferre, si nullus Libertati arbitrij huma-  
ni esset Locus? Imò ipsum Deum externam disciplinam  
etiam in non renatis temporalibus præmijs remunerare,  
scribit Augustinus Lib. 5. de civit. Dei c. 15

XXV. Gravissimè itaq; errant cum Stoicis & Mani-  
chæis Calviniani, qui omnia, quæ fiunt, necessariò fieri,  
& ex immutabili Dei decreto, asserunt, quia nimirū Dei  
voluntas Iustissima sit rerum omnium causā. Hinc Bu-  
canus scribit Loc. 14. pag. 133: *fieri nihil posse nisi quod De-  
us decrevit.* Item pag. 136: *quæ homines vel angeli agunt  
necessariò agunt, quoniam Deus hoc fieri sua potentiâ decrevit.*  
Unde & alter horrendus pullulat error quod homo iusto Deo  
*impulsu agat quod sibi non licet, & à Deo ipso manare  
efficaciam erroris* Lib. 1. instit. c. 18. item & Lib. 3. instit.  
c. 23. *decretum fuisse à Deo, ut sua defectione periret  
Adam, ut blasphemè scribit Calvinus.* Quæ omnia  
stante hac ineluctabili necessitate respectu decreti divini,  
non modo arbitrij humani Libertatem, in indifferentia  
actionum positam, tollunt etiam in civilibus, & Deū pec-  
cati authorem blasphemò errore statuunt; Sed etiam o-  
mnem poltiam & societate humanam funditùs evertunt.



XXVI. Hic tamen probè notandum, *vultu linguæ.*  
*dum esse hoc Liberum arbitrium in naturalibus, et in*  
*his & Moralibus.* Nam & hic multa & magna obijciun-  
 tur impedimenta. Dona illa naturalia, quæ reliqua sunt  
 in natura, laucata & varijs modis etiã quoad exter-  
 nam disciplinam depravata sunt. Nam & in his obtene-  
 bratum est cor eorum scientia carens, Rom. 1. v. 21 &  
 seq. Docet Aristoteles 7. Ethic. c. 3. & quidem verè, quod  
 homines non rarò faciant ea, quæ norunt esse vitiosa. Si-  
 quidem à vitiosis affectibus, tanquam acris quibusdã  
 stimulis & magnis animorum incendijs, eripitur menti  
 particularis noñtia, adeò ut furenti affectuum contuma-  
 cia in ea non rarò fervidè feratur, quæ mens damnat.  
 Et hinc est *vñs a d'ònos*, mens Judicij expers Rom. 1. 28.  
 Cujus judicium in externis etiã ita depravatũ est ut Licet  
 sciat hæc aut illa opera digna esse morte; ab illis tamen nõ  
 abstinet Rom. 1. v. ult. Et adeò vera est hæc assertio, ut  
 ipsi etiã renati ab affectibus vitiosis & carne victi sub-  
 indè faciant id, quod improbant & damnant.

XXVII. 2. *Remorem quorũbus actionibus injiciunt ob-*  
*jectorum varietas & multitudo.* Quæ si jucunda sunt, al-  
 liciant, si acerbã, ferrent, perturbant, frangunt Judicium  
 1. Jõh 2. 16 Et quantum possit externa objecta ad sedu-  
 cendum hominem vel exemplo primorum parentum ni-  
 mis manifestam est, Gen. 3. 1. & seq.

XXVII. Huc accedit 3. *Tyrannũ D'iboli*, qui mens  
 tes in horum excæcat, 2. cor. 1. 4. efficax est in filijs  
*a'x' 9' 12'*, Eph. 2. 2. accendens & augens flammã. cu-  
 piditatibus & alijs varijs laqueis quibus homines implicat &  
 captivos tenet ad suum libitum 2. Tim. 2. 26. Hinc stupens  
 di errores in doctrina, furores in cultu idolorum, vermi-  
 um, quadrupedum, rerumq; aliarum vitillarum Rom.

8. 23. Hinc tyrannorum saevitia: Hinc horrenda & turpissima sequuntur flagitia, adeo ut tales homines tandem fiant ἀπληγῆδες Eph. 4. 19. qui jam amplius nec dolent, nec curent, quid mens dicter, aut faciendum svadeat. Nam eorum animus à Diabolo fascinatus ita peccandi consuetudine occalluit & obduruit, ut nullū sentiat conscientiae moriūm aut dolorem, sed semet ipsum dedat lascivia ad patrandam immunditiam omnem cum aviditate.

XXIX. Deniq; libertas arbitrii in externis & civilibus ab ipso Deo non raro impeditur. Nam praterquam quod multi sunt errores in deliberationibus, eventus & successus rerum non sunt in nostra potestate, sed à divina dependent gubernatione & directione. Novi Jehova non esse penes hominem viam ipsius, nec esse penes virum ambulantes dirigere gressum suum, Jer. 10. 23. Hinc si Deus non suggerat sana consilia, eaq; promoveat, accidit id, quod Psal. 35. 6 scriptum est: sit via eorum tenebrosa & lubricilla na, hoc est errent in consilijs & careant optatis successibus. Confer Esa. 8. 10.

XXX. Res porro sacrae sunt, quae veram religionem spectant; suntq; actiones circa has versantes vel internae vel externae. Externae sunt, quae externum religionis exercitium concernunt. Quales sunt; verbum Dei querere, audire, Legere, meditari, in externo Ecclesiae coetu se frequenter iustere. Potest homo non renatus hanc externam pedagogiam aliquo modo prestare: potest desiderium aliquod habere rerum caelestium; potest ingredi templum, audire verbum & quidem cum studio aliquo. Multi, ait Christus, studebunt intrare (ecce desiderium) & non poterunt. Luc. 13. 24. & Amos de non renatis ait: vagabuntur à mari uno ad mare alterum, & ab

Aquilone ad orientem discurrentes ad peruestigandum  
verbum Jehovæ, non tamen inveniunt. Amos 8, 12. Hic  
habetur desiderium & studium simul. Vagantur enim &  
discurrunt ad peruestigandum verbum Jehovæ.

**XXXI.** Sic de Paulo Sergio proconitule expressè scri-  
ptum est, quod accersiverit Paulum & Barnabam ad se,  
**EXPETIVIT** enim ex ijs audire sermonem Domini,  
Act. 13, 7. Sic & Felix Præfès Judææ audivit à Paulo fi-  
dem Jesu Christi, licet non assentiretur, Act. 24, 24. &  
de Herode refert Marcus, quod Johannem Baptistam  
Libentèr audiverit, Marc. 6, 20. Neq; de his actionibus  
feram contentionis cum adversarijs ducimus\*.

**XXXII.** *Debilis tamen manca & imperfecta est illa ex-  
terna pedagogia, qua homo suis viribus quarit ac desiderat  
audire verbum. Etiam si enim studium aliquod adhibe-  
at, illud in studiū nō est veritatis, sed novitatis, sine assensu,  
sine fiducia, sine vero motu cordis, qui Deo placere possit.*  
Et tale est illud studium, ex quo ipsa perceptio mysterio-  
rum Dei nunquam sequeretur, nisi gratia Spiritus Sancti  
accederet, qui per auditum verbi cor movet & illuminat.

**XXXIII.** *Internæ seu Spirituales & cælestes actiones sunt qua  
proprie ad justitiam spirituslem, conversionem & cultus interioris  
spectantis suntq; opera Deo grata, & animæ nostræ salu-  
taria. Qualia sunt, assensum præbere verbo prædicato,  
ad Deum toto corde converti: In Jesum Christum indu-  
bitata cordis fiduciâ recumbere: peccati foeditatem ag-  
noscere, illudq; seriò detestari: In vitæ emendationem  
ferventi studio incumbere: Deum in Spiritu & veritate  
invocare: crucem æquo animo ferre: in duris adversita-  
tibus auxilium Dei patientèr sperare; Secundum Spiritū  
vivere; ad vitam æternam rebus hujus mundi alto animo  
spretis, jugitèr aspirare. & si quæ sunt ejusdem census me-  
re spiritualium actionum complures aliæ.*



**XXXIV.** Verus itaq; & Legitimus status controversiæ est: Quid hominis non dum renati intellectus & voluntas cum ante conversionem & *παραγενεσίαν*, tum in ipso momento conversionis ex propriis suis & post Lapsum reliquis viribus præstare possit; quando verbum Dei prædicatur & Dei gratia nobis offertur, An homo ad hanc Dei gratiam apprehendendam sese præparare & applicare? Et an eam ex suis viribus amplecti & verbo Dei assentiri possit? Quemadmodum his ferme verbis eundem Liber concordiaæ formali Declarat, p. m. 39.

**XXXV.** Ad *Tertium Membrum* disputationis nostræ accessum facturi, ut conitet nos fallam doctrinam improbare & damnare, asserimus ab una parte errare cum Pontificiis Synergistas, docentes hominem, quamvis propriis viribus legem Dei implere, Deo verè condidere, ipsum timere & diligere siue gratia Spiritus Sancti non possit; tamen tantum adhuc ipsi virtutum naturalium antè regenerationem reliquum esse, ut aliquo modo se ad gratiam Dei præparare, applicare & vocanti Deo assentiri possit, licet languidè: Sed nisi accedat gratia Spiritus Sancti, nihil illum qualemcunq; assensum præstare posse sed in lucta succumbere. Ex altera autem parte Enthusiastas delinquerè, tum veteres, tum recentiores, qui docuerunt, Deum hominem sine ullo medio aut instrumento creaturarum, hoc est sine externa prædicatione & abiq; auditione verbi Dei per Spiritum suum convertere, atq; per violentos raptus ad salutarem Christi agnitionem pertrahere. A qua sententia Johannes Piscator Calvinista non abhorret, contra Vorstium disputans, Deum in conversione vim adferre homini, cui resistere homo non possit. Nec rectius sentiunt reliqui ZWingliani, qui ab ioluo decreto Dei Salutem electorum ascribunt.

**XXXVI.** Nos econtra è verbo divino informati cum Augustana confessione & Libro concordiaæ Declar:

p. m. 640: omnes istos errores, ut & crassum illud Pelagianorum commentum, repudiamus, rejicimus & damnamus. Et vicissim asserimus hominem non conversum in rebus mere spiritualibus ex PROPRIIS viribus prorsus NIHIL boni intelligere, velle, inchoare, agere, perficere, operari, aut cooperari posse; Et quidem ita, ut ad bonum prorsus mortuus sit, & ante regenerationem ne scintilla quidem spiritualium virium remanserit, qua ille ex se ad gratiam Dei se preparare, applicare, accommodare, aut oblatam gratiam apprehendere valeat, aut viribus suis propriis aliquid ad conversionem suam vel ex toto, vel ex dimidia vel minima parte operari aut cooperari possit: Sed hic adeo ignoras, cæca & perversa sit ratio humana, ut etiamsi ingeniosissimi & doctissimi homines in hoc mundo Evangelium de filio Dei & promissiones divinas de æterna salute legant vel audiant; tamen ea propriis viribus percipere, intelligere, credere & vera esse statuere nequeant. Quin potius quanto diligentius in ea re elaborant, ut spirituales istas res rationis suæ acumine indagent & comprehendant; Tanto minus intelligunt et credunt: Et ea omnia pro stultitia & meris nugis & fabulis habent, priusquam à Spiritu Sancto illuminentur & doceantur. Hactenus Liber concordie.

XXXVIII. Quæ sanè assertio Clarissimis & firmissimis nititur Sacrarum Literarum testimonijs. Utrumque enim Script. tribuit homini non converso, *ad vrapia* in promovenda conversione; & *δύναμις* quin & promptitudinem in ea impedienda: idque iuxta duas principales facultates animæ, intellectum & voluntatem, seu ut Scriptura loquitur, mentem & cor hominis;

XXXIX. *Mentis ad vrapia describitur ijs Scriptura: dictis,*  
quæ

quæ hominem non conversum tenebras vocant, ut Eph. 5, 8. Joh. 1, 5. Lux in tenebris lucet, id est, in tenebrico-  
so & excæcato mundo, & tenebræ eam non compre-  
henderunt: Quæ homini omnem *ικανότητα* in rebus  
divinis ex seipso adimunt; Animalis homo *ὁ δεξιῶν*,  
non capit, non comprehendit aut accipit ea, quæ sunt spi-  
ritus Dei, hoc est, non est capax rerum Spiritualium, 1.  
cor. 2, 14. Non sumus idonei per nos ipsos ad cogitan-  
dum quicquam, velut ex nobis ipsis 2. cor. 3, 5. Si ergo ex  
nobis ipsis nihil boni cogitare possumus, multò minus fa-  
cere poterimus: Quæ deniq; hominem in vanitate mentis  
suz ambulare dicunt, & tenebris obscuratam mentem  
habere, propter ignorantia, quæ est in ipso, Eph. 4, 17, 18.

**XL.** *Vires mentis reluctantis ex se operationi Dei, & im-  
pedientis opus conversionis,* depinguntur illis Scripturæ Lo-  
cis, quæ testificatur sapientiam Dei esse animali hominì  
stultitiam, 1. cor. 1, 21. c. 2, 14. Quæ docent, homines  
repellere verbum Dei, Act. 13, 45, 46. Et Aspernari con-  
siliu Dei, Luc. 7, 30. obniti Spiritui Sancto, Act. 7,  
51. prudentiam carnis esse inimicitiam adversus Deum,  
Rom. 8, 7. Unde fit, ut homini sibi relicto verbum Dei  
fiat odor mortis ad mortem, 2. cor. 2, 16. Nam ratio  
humana, quò plus secundum suas vires expendit myste-  
ria divina, eò magis illustrissimo eorundem fulgore per-  
stringitur, & eò profundius in errorum abyssum incidit,  
adeò ut hisce mysterijs omnem fidem derogare, imò ijs-  
dem repugnare occipiat. Hinc est, quod etiam ex au-  
ditu verbi deterior evadit, quod Pharaonis & pharisæo-  
rum exempla testantur.

**XLI.** *Quo in genere indefessam impendit operã,  
juratus ille humani generis hostis,* qui agit in homi-



nibus contumacibus, Eph. 2, 1. Et excæcat mentes infidelium, ne illucescat eis Lumen Evangelij gloriae Christi, 2. cor. 4, 4. qua ratione intellectum hominis per se caliginosum magis magisque obtenebrat, & ad excogitandas vanitates adversus mysteria divina acuit.

XLII. Hinc indubitanter concludimus: *Ubi non modo nulla est vera notitia mysteriorum cælestium, sed est summa repugnantia, sapientiam Dei pro stultitia habens, ibi nihil profusus est, quod conversionem hominis vel inchoet, vel adjuvet, vel perficiat: Sed ita sese habet mens hominum non converti, quippe quæ per se spiritualia nec capit, nec sapit, sed eadem impugnat. Ergo nihil est in mente ejus modi hominis, quod conversionem ejus vel inchoare, vel adjuvare vel perficere possit.*

XLIII. Idem de *Voluntate seu corde hominis conceptis* ferè verbis affirmat Scriptura Jer. 4, 22. filij stolidi sunt, neque intelligentes: Sapientes sunt ad malefaciendum; hæc est cordis, non renati *ὄψις*. Bene autem facere non noverunt; Hæc e usdem *ἀνομία* in rebus divinis. Haud magis ex proprijs viribus suis tale cor se convertere potest, atque Ætiops mutare cutem tuam, aut pardus Liventes maculas suas, Jer. 13, 23.

XLIV. *Hinc cordis ἀνομίας describit Scriptura* illis dictis, quibus vocat cor Lapidem, Ezech. 36, 26. lutum in manu fictoris, Esa. 45, 9. argillam in manu figuli, Jer. 18, 6 quando item testatur omnes recessisse, omnes simul putidos factos esse, non esse qui faciat bonum, non esse vel unum, psal. 14, 3. Rom. 3, 12 hominem non conversum Legi Dei non esse subiectum, & ne posse quidem subijci, Rom. 8, 7. Sed *νεκρὸν* seu mortuum esse in peccatis, Eph. 2, 1. Ut igitur homo qui corporaliter mortuus est, non modo nequit vitales operationes edere, sed ne quidem potest seipsum proprijs viribus præparare aut ac

com-

comodare ad vitā externā ullo modo recuperādā. Ita qui  
spiritualiter mortuus est in peccatis, nec actiōes spirituales  
præstare, nec ad vitā spirituale cōsequendā suis virib⁹ ulla  
ratione se aut præparare aut applicare potest. Quemadmo-  
dum & rectè hoc simile urget Lib. concord. p. m. 642.

XLV. *Qua verò sint vires cordis divine voluntati relus-  
tantes.* Sacer quoq; codex non reticuit, quando affirmat  
omne figmentum cogitationum cordis humani tantum-  
modo malum esse omni tempore, Gen. 6, 5. quando Jer.  
17, 9. cor hominis dicitur esse fraudulentum cum auda-  
cia, quod perpetuò dolos comminiscitur, quibus Deo il-  
ludat, & hominibus imponat: in rebus adversis despe-  
ratione & diffidentia, nec non fremitu adversus Deum  
plenissimum ad quod Israelitæ in deserto comprobârunt.  
Gesner. Disp. iv. pro Lib. concord. p. m. 94. Quando  
quod sapit caro inimicitiam vocat adversus Deum,  
Rom. 8, 7. *Νὰ τὸ φρόνημα, ὡς ἐνὸς* notat tā cogitationes  
mentis quam electionem voluntatis?

XLVI. *Est hic etiam insidiosus Spiritus nequam,*  
qui voluntatem hominis ex sese ad malum nimio opere  
propensam peiorem reddit, dum affectus furioso impetu  
rebelles ad seditionem contitat, flammis cupiditatum au-  
get, varia objecta obicit, quibus abripitur voluntas ho-  
minis in præceps, & homines ipsi redduntur ἀπληγ-  
κότες, qui sese dedunt Lascivix seu effrenatæ Libidini  
ad patrandam omnem immunditiam cum aviditate, ad  
Eph. 4, 19. Hi captivi tenentur Laqueis Diaboli ad ipsius  
Libitum, 2. Tim. 2. 26 & si in renatis carnale Liberum  
arbitrium Legi divine repugnat: Rom. 7, 23. quanto ma-  
gis in non convertis Legi & voluntati Dei rebellabit &  
inimicum erit? Lib. concord. Declar. p. m. 644.

XLVII. Hinc iterum latis firmiter argumentamur:

*Ubi nihil profus virium est faciendi ea, quæ Legi Dei sunt congrua, sed potius summa adversus Deum inimicitia, fremitus & rebellio, ibi nulla est cum Deo consensio, & nullum conversionis futura auxilium. At in corde hominis non renati hæc omnia reperiuntur. Ergo ibi nulla cum Deo consensio, & nullum in tali corde futura conversionis auxilium.*

XLVIII. Quæ cum ita sint, de toto homine ante conversionem considerato verè dicitur, quod servus sit peccati, & mancipium Satanæ, à quo agitur, sit hostis Dei, filius iræ, qui neq; ex seipso de conversione sui est sollicitus, neq; ad promovendam illam idoneus. Et licet in civilibus & externis (verba sunt D. Lutheri in commentar. super Psal. 90) quæ ad victum & corporalem sustentatio. e n pertinent, homo sit industrius, ingeniosus, & quidè admodù negotiosus: tñ. in spiritualibus & divinis rebus, quæ ad animæ salutē spectant, homo est instar statuæ salis (in quā uxor patriarchæ Loth est conversā) imò est similis trunco, Lapidi, aut statuæ vita carenti, quæ neq; oculorū. oris. aut ullorū sentiūū, cordisve usū habeat. Homo enim horrendā Dei iram adversus peccatū & ex ea consequentem mortem neq; videt, neq; agnoscit: Sed strenuè in carnali sua securitate pergit: Et ita in mille pericula, tandē etiam in æternam mortem & damnationem se precipitat. Neq; ab eo ad interitum cursu, homo precibus, admonitionibus, obsecrationibus, minis, objurgationibus revocari se patitur: nulla doctrina, nullæ conciones apud eum Locum habent, antequam per Spiritum Sanctum illuminatur, convertitur & regeneratur. Hæc ex Luthero Lib. concord. p. m. 645.

XLIX. Et quamvis homo respectu facultatis intelligendi, & cū προαίρεσις agendi in rebus externis; itemq; respectu potentia & capacitatis passivæ ac aptitudinis



conversionem recipiendi à trunco multis modis discrepet. Solus enim homo est capax conversionis, & subiectum illud est, in quo Spiritus Sanctus conversionem ex mera gratia operatur, quod de trunco & lapide dici nequit: interim tamen *respectu potentia, facultatis & capacitatis activæ conversionem inchoandi & efficiendi homo nulla ratione ne trunco præstat: Imò est deterior trunco, lapide & bestia.* Nam truncus, lapis & bestia, ut facultate volendi destituuntur: Ita carent peccato, malitia & contumacia, quæ homini non renato adhærent. Quo respectu ei tribuitur cordurum & poenitere nescium, Rom. 2, 5, incircumcisum, Deut. 10, 16. Act. 7, 51. cor Lapideum, Ezech. 11, 19. nervus ferreus, cervix ferrea, frons chalybea, Esa. 48, 4. NIHIL, NIHIL itaq; profus ex se & proprijs suis naturalibus viribus in rebus spiritualibus & ad conversionem pertinentibus inchoare, operari aut cooperari potest.

**L.** Verum de *homine ante conversionem considerato* jam satis superq; dictum est pro instituti nostri ratione; Nunc *quomodo se habeat in ipsa conversione*, paucis dispicendum est: hic enim arx salutis nostræ panditur, ad quam facilis patebit ingressus, & totius negotij planior explicatio erit, si ea quæ ad hominis conversionem, concurrunt primùm omnium expendantur.

**LI.** Eorum verò tria sunt: *Spiritus sanctus, verbum Dei, & voluntas humana:* quorum ille est causa efficiens principalis. Est enim conversio, utpote à spirituali morte resuscitatio, solius Dei & quidem Spiritus Sancti opus: Istud instrumentalis, & medium illud, per quod Spiritus Sanctus in subiectis capacibus ordinariè conversionem operatur: *Hæc subiectum convertendum* appellatur.

**LII.** Ex numero ergo causarum efficientium exclu-

dicur non tantum voluntas humana, sed & simpliciter quicquid est in homine post lapsum ex proprijs naturæ viribus; siquidem ex dictis constat, hominem in spiritualibus prorsus esse mortuum, in quo ne modiculum quidem aut perpusillum est reliquum, quo se vel ad gratiam flectere, vel conversionem efficere, operari, aut cooperari possit.

LIII. Manet autem in hoc salutari actu causa efficiens solus Deus sive Spiritus Sanctus, cui conversionis nostræ initium, medium ac finis in solidum fertur acceptus. Deus enim est is, qui efficit in nobis ipsum velle, & ipsum agere pro gratuita sua benevolentia, ad phil. 2, 13. ipse dat nobis remissionem ad agnitionem veritatis, 2. Tim. 2, 25. Ille auferit durum Lapidem cor. & donat novum, molle & carneum cor, ut in præceptis ejus ambulemus, Ezech. 11, 19, c. 36, 26, 27. Donat fidem, Phil. 1, 29. Eph. 2, 8. Nemo potest venire ad me, inquit Christus, nisi pater traxerit eum, Joh. 6, 44. coll. 1, 19. Nemo novit patrem nisi filius, & cuiuscunq; voluerit filius eum detegere, Matt. 11, 27. sine me nihil potestis facere, Joh. 15, 5. Nemo potest Christum Dominum dicere, nisi per Spiritum Sanctum, 1. cor. 12, 3. quia & omnis sumus sentis nostra ex Deo est, 2. cor. 3, 5. Quam ob causam etiam homines à solo Deo conversionem petunt, Jer. 31, 18. *1880 521*

LIV. Hoc suum opus operatur Deus in nobis non per Enthusiasticos, aut violentos raptus, sed per verbum lectum, auditum & meditationibus pijs exultum, quod proinde causa organica conversionis haud immeritò nominatur, & semè incorruptibile vocatur, per quod renascimur, 1. pet. 1, 23. postquam in sapientia Dei, non cognovit mundus per sapientiam Deum, visum est Deo, per stultitiam prædicationis salvos facere credentes, 1. cor. 1, 21. Confer. Rom.

116. Jac. 1, 21. Fides est ex auditu auditu, autē per verbū Dei.  
Rom. 10, 17. Hanc verbi Dei prædicationem audire oportet omnes, qui æternam salutem consequi cupiunt, prædicatione enim verbi Dei, & ejusdem auscultatio sunt Spiritus Sancti instrumenta, quibus, & per quæ efficaciter agere & homines ad Deum convertere vult. Exempla hujus rei habemus Act. 2, 41. Act. 10, 44, c. 16, 14. vide Form. concord. Declarat p. m. 653.

**LV.** *Verbum hoc constat Lege & Evangelio.* Per legem est agnitio peccati. Rom. 3, 20. conterit illa & contudit corda ferrea & lapidea. Est enim instar mallei, efficiens ut dissiliat petra; Jer. 23, 29. ostendit lethalia vulnera esse, & interiora cordis acculat: Evangelium autem medicinam adfert contritis conscientijs, oleum infundit, & vulnera obligat, solatur mentes territas, & erigit afflictas, Eccl. 40, v. 12, v. 6, 11, 2. Luc. 14, 18. Matt. 11, 28. Unde sequitur aversio à malo, & conversio ad bonitas.

**LVI.** *A verbo nequaquam separantur Sacramenta.* Sicut enim verbi prædicati sigilla Rom. 4, 11. per quæ conversio hominis ad Deum vel efficiunt in infantibus, ut in Baptismo, qui propterea Sacramentum regenerationis appellatur. It. 3, 5 vel confirmatur in adultis ut in Sacra eorum, quam inter cætera propter confirmationem fidei institutam esse constat. Unde Legimus in Historia Sacra, eos qui ex gentilitimo vel Judæismo per prædicationem Apostolorum fuerant conversi, ac tunc etiam Sacramentum initiationis se subiecisse, ut de Petri auditoribus scriptum extat, Act. 2, 41. Similia exempla leguntur Act. 8, 38. c. 20, 47. c. 16, 15.

**LVII.** *Ex hisce promptum est colligere, quid cause sit, quod plurimi non convertantur ad Deum, neq. fidem concipiunt*



*aut & salvi fiant?* Causa hujus rei non est in Deo, qui verbum nemini denegavit ex absoluto decreto, aut malevolentia: Idcirco eos etiam ad se vocat, qui nunquam veniunt, & ad conversionem invitat eos, qui non convertuntur, sed vocanti Deo contradicunt, prov. 1, 24, Esa. 65, 2, Act. 7, 51. Deus enim vult omnes homines salvos fieri, 1. Tim. 2, 4. Vult etiam serio, ut omnes diligenter verbum audiant.

**LVIII.** *Sed culpa hæret in ipsis hominibus, qui vel ministerium verbi & media salutis æternæ contumaciter negligunt ac contemnunt, sine quibus ordinaria ratione converti nequeunt, verbum Dei neq; audire, neq; Legere volunt:* Vel qui nobis videntur audire sunt hypocritæ, cum tædio audiunt, aut cum errore præconcepto & inveterato, aut cogitationibus suis alibi vagantur, quibus proinde Satan semen verbi divini ex cordibus rapit, ne credant & salvi fiant. Luc. 8, 12. *vel audiunt quidem attentè, sed impedit conversionem Ecclesiæ facies admodum tristis & horrida, quæ paupertate, persecutionibus, variarumq; calamitatum onere gravissimè premitur.* Unde Christus ait: Beatus est qui non fuerit offensus in me Matt. 11, 6. *Hi pleni curis & desideriis hujus seculi, delicias, divitias, lucrû, honores, lasciviâ & Libidine verdo Dei longè præferunt, in quibus verbum super petram, & inter spinas seminatur: Vel habitum peccandi sua culpa sibi contraxerunt, ut peccata, quæ etiam non renati vitare possunt, post acquisitum illum habitum & consuetudinem peccandi, non possint non contumaciter designare. His & similibus Satanæ laqueis captivi tenentur & ligati sunt* 2. Tim. 2, 26.

**LIX.** *Subiectum convertendum est mens & voluntas hominû quæ in conversione quoad essentiam manent, sed quia*

gula extrême perditâ, corrupta & aversa sunt à Deo; idcirco in versione seu conversione opus habent, ut ex insipiente fiat sapiens per mentis illuminationem, & ex corde pravo cor sanum per voluntatis reformationem.

LX. *Habet ergo se homo in sui conversione, nec ut operans, nec ut cooperans, sed ut merè potens, hoc est, qui neq; præparare sese potest ad acquirendam gratiam, quamdiu in statu corruptionis est, neq; adjuvare Dei convertentis operationem, sed simpliciter est, ut lutum in manu figuli, quem Deus gratuita sua virtute per verbum ex statu corruptionis evocat, & in statum gratiæ transfert. Invenit hic quidem Spiritus Sanctus naturam peccato corruptam acriter repugnantem, Rom. 8, 7. In voluntate tamen convertenda Locum non habet violenta coactio. Nam velle quod nolis, perindè est atq; calidum esse sine calore. Sed in conversione Spiritus Sanctus ex nolentibus volentes efficit, & in volentibus habitare incipit, ut loquitur Augustinus.*

LXI. *Non Ergò convertit invitum, sed nolentem & natura sua repugnantem reddit volentem, ejusq; voluntati generat per verbum desiderium Dei & salutis æternæ, hominemq; totum magis magisque eò flectit, ut audito verbo assentiatur, & regimen Spiritus Sancti admittat.*

LXII. *Ex his sine magna difficultate intelligi potest, quomodo conversionis negotium in homine peragatur. Hunc enim ordinem Deus in hominis conversione ordinarie observare solet, 1. Ex merè gratiâ & misericordiâ vocat ad regnum filii sui generis humanum, non quidem absolute & immediate, sed per prædicationem verbi & administrationem Sacramentorum: Undè verbum hæc prædicationi vult audiri, & quidem non frigide, perfunctorie & oscitanter, sed serio & cum studio discendi. Tandem huic serio auditui pro suo beneplacito benedicturum se promittit, modo, ut sequatur hominis conversio & illuminatio.*

LXIII. *Est autem conversio hominis è statu corruptionis in statum gratiæ translatio, qua homo virtute Spiritus Sancti*

per verbum à peccatis ad Sanctitatem, à Diabolo ad Deum, ab  
erroribus ad veritatem, ab incredulitate ad fidem, à morte ad  
vitam primò convertitur.

LXIV. Et cum hoc opus sit resuscitatio ex Spiritu  
à morte, omninò solius Dei opus est: Sicut etiam resusci-  
tatio in corporali carnis resurrectione soli Deo est tribu-  
enda. Voluit enim Deus hanc laudem sibi unicè reli-  
ctam quod ex mortuis faciat viuentes, ex impijs iustos:  
Nam quantum hic humanae attribuitur facultati, tantum  
gloriae divinae de edit. Idcirco Augustin. benè scri-  
psit in Enchir. c. 31. Totum Deo detur, qui hominis bo-  
nam voluntatè, & preparat ad iuvandam, & ad iuvat præ-  
paratam. Nolentem prævenit ut velit, volentem subse-  
quitur, ne frustra velit.

LXV. Notanter dicimus, *primò convertitur*. Nam  
non est hic nobis sermo de renatorum in peccata mortua  
lapsorum conversione: Tales enim gratia & foedere  
Dei respectu intentionis & voluntatis Dei penitus nõ ex-  
ciderunt nisi in peccatis contumaciter & finaliter perse-  
verent. Quorum conversio est ad utrum gratia pristinae  
per poenitentiam reditus. Ita 1. 16. 2. *Nec de stultum si-  
ve renatorum conversione & poenitentia*, quæ nihil aliud est,  
quàm conversionis primæ continuatio, perpetua carnis  
mortificatio, & iuncta spiritus cum carne. Eph. 4. 23. 2.  
cor. 4. 6. ad Gal. 5. 17. Sed de non renatorum prima con-  
versione hic potissimum agitur.

LXVI. Tandem *in statu Terrio*, postquàm Spiritus Sanctus  
regenerationem sive conversionem est operatus, tum vo-  
luntas quæ in ipso momento conversionis se passivè ha-  
bebat, mox efficaciter, *virtutum atq; efficiat ex Spiritu Sancti or-  
ganum evadit*, & à servitute ac dominio peccati Liberata,  
spontaneo Spiritu Deo servit, Rõ 8. 14. 15. Hinc v. 26. Spi-  
ritus dicitur ad iuvare infirmitatè nostrã.

LXVII.



**LXVII.** Docet Scriptura disertis verbis, quod homines verè regeneriti, verà libertate sint præditi. Si vos filius in libertatem vindicavit, verè liberi eritis, Joh. 8, 36. Ubi Spiritus Domini ibi libertas, 2. cor. 3, 17. Liberati à peccato, servi facti estis iustitiæ, Rom. 6, 18. *est hæc Libera servitus*, quia non coactè, sed spontaneo spiritu Servitur Deo: Et ierva Libertas quia non secundum placitum nostrum, sed juxta præscriptam divinam libertas illa exercetur, Gal 3, 13. Ideo renati indies opus habent admonitione ex verbo Dei ut Sanctis operibus studeant, & ne in bono sequens reddantur, Gal 6, 8, 9. 2. pet. 1, 8, 9.

**LXVIII.** *Est hæc Libertas à Domino sive servitute peccati*, Rom. 6, 6, 12 non undiquaq; perfecta, quia caro nõ dñ plene est subtrata spiritui, sed remittit adhuc honestis institutis; unde est perpetua illa lucta inter carnem & Spiritum, quam suo monstrat exemplo Paulus Rom. 7, 22, 23. Et ubi caro non potest planè impedire honestas actiones, ibi eas vel remoratur, vel languidiores reddit. Hinc renati etiam quodammodo sunt carnales. Sic *carnales appellatur Corinthij* renati, quia secundum hominem ambulabant, & intempertivis amulationibus & contentionibus indulgebant, 1. cor. 3, 3.

**LXIX.** Et quanquam homo renatus possit Deo cooperari in statu novæ obedientiæ, tamen quicquid facit rei bonæ, id ex se non facit & suis viribus, sed ex illuminatione & gubernatione spiritus Sancti inhabitantis, quo regitur & agitur. Gratia Dei sum id, quod sum, & gratia ejus, quæ in me collata est, non fuit inanis; Sed amplius, quàm illi omnes laboravi, non ego tamen, sed gratia Dei quæ mecum est, 1. cor. 15, 10. Phil. 1, 6. 1. pet. 1, 5. Idcirco opera post conversionem à nobis facta, sive in laboribus vocationis sive in studio pietatis, dicuntur nostra opera,

quia sumus vasa Spiritus sancti, & organa salutaria, in  
quorum infirmitate Dei virtus efficaciter operatur, 2. cor.  
12. 9. Phil. 4. 13.

**LXX.** Hæc est illa consideratio virium humanarum,  
ante, in & post conversionem suam, quam ob pagellarum  
angustiam longius excedere non licuit.

Deum omnipotentem, qui solus facit ex mortuis viuentes, Calidis votis  
& suspiriis veneramus, ut sanata doctrinam in animis nostris obliquet, in ea  
magis imago, nos confirmet; Terroribus autem & eorum patronis potentia  
resistat, inuisibiles convertat; & nobis omnibus quotidie cor contritum, fidem  
veram ipsi severentiam in bono, & tandem vitam ac salutem æternam  
propter Christum filium suum Clementer Largiatur.

A M E N.

*Eruditione ac morum integritate præstantissimo Iuveni*  
**DN. JACOBO FORLADIO,**  
patriotæ suo dilecto, de *Libero arbitrio* Theolog. disputati,

**L**ibertate frui dederat Deus ipse Creator,  
Servos sed stygij fecit, prohs, Dæmonis astus.  
Arbitrij quæ sit Libertas, Dicte **JACOBE,**  
Ergo collaudo thesibus quod discutis apte.

L. Mq; congratulor

**MICHAEL O. WEXIONIUS**

J. U. D. eiusdem & pol. Prof. P.

Literis ac moribus conspicuo Iuveni

**DN. JACOBO FORLADIO,**

**P**ulpiræ conscendis claro sub Præsede cella,  
Grande Enaggredieris, Frater, opusq; pium.  
Pergi o sic semper studijs insistere rectis,  
Ut has Patrij portio magna soli!

Sympatriotæ suo & amico sincerè dilecto, sic fraternæ  
amore ductus L. Mq; applausit.

**OLAUS BOTHVIDI WALLENIUS,**